



Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1860

XII. Revers der von Sanitz für das Kloster Marienwalde über Besitzungen in Lamprechtsdorf, vom 24. Februar 1314.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55515)

XI. Markgraf Woldemar verkauft dem Kloster Marienwalde die Freiheit von Steuern und Diensten für alle seine Besitzungen, am 22. Januar 1313.

Noverint uniuersi, ad quorum notitiam presentis scripti series defertur, Quod nos Wolde-
marus, dei gratia Brandenburgensis, Lusatiae et de Landsberg Marchio, Tutorque Illu-
stris Johannis de Brandenburg Marchionis, religiosi viri et Dominis Abbati atque
eius fratribus in cenobio Marienwalde Deo famulantibus dimisimus et per presentes literas di-
mittimus quamlibet precariam tam annone quam denariorum ac aliarum rerum super omnibus bo-
nis eorum et proprietatibus, stangnis atque villis, et cum hoc seruitia curruum et vecture, que sub
nostro habent Dominio, libera penitus et soluta. Proinde dicti fratres nobis quingentas marcas in
parata pecunia persoluerunt, de quibus ipsos omnino dicimus in perpetuum quitos per presentes,
Conditione tamen huiusmodi apposita, Quod non solum pro pecunia vendidimus seu dimisimus, sed
ob reuerentiam omnipotentis Dei et salutem animarum nostre et progenitorum nostrorum ad emen-
tationem Claustrum donauimus seu dimisimus ac monasterii paupertatem inspeximus prefatam preca-
riam perpetuo obtinendam fratribus ibidem Deo famulentibus dedimus presentibus et futuris, Dan-
tes ipsis fratribus in huius nostre dimissionis ac perpetue donationis euidentis testimonium presentes
literas nostri Sigilli munimine de nostro consensu et scientia roboratas presentibus testibus scilicet
nostris fidelibus Hafsone de Wedele, Redekino, nostre Curie Marschalco, Egberto Ro-
melo, Henningo et Syfrido de Bentz, militibus et aliis quam pluribus fidedignis. Datum et
actum in villa Henricksdorff, Anno dominice Incarnationis Millesimo Trecentesimo decimo tertio,
In die Beati Vincentii Martiris.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 5.

XII. Revers der von Sanitz für das Kloster Marienwalde über Besitzungen in Lamprechtisdorf,
vom 24. Februar 1314.

Cum hominum memoria et cogitatio naturaliter labilis sit, infirma et caduca, Necesse est ea,
que in tempore geruntur, ne simul cum tempore dilabantur, testimonio scripturarum eternari. Inde
est quod nos Syfridus, Henricus et Mezeke, dicti de Sanitz, ad maiorem nostri facti me-
moriæ et cautelam tam presentibus quam posteris dignum duximus declarandum, Quod a domino nostro
Abbate in Marienwalde et a suo conuentu per Intercessionem nostrorum amicorum et quorundam
fidelium virorum et per precum nostrarum Interventum vix obtinuimus, ut liceat nobis frumentum
nostrum in eorum molere molendinis, Eo quod per insipientiam nostram ac negligentiam eis intule-
ramus aliquantulam molestiam, In hoc, quod redditus octo manforn in villa Lamprechtisdorff,
contra voluntatem eorum absque collatione retinuimus tribus annis, quos Iusticia exigente perdidimus.
Sed ipsi apud nos misericorditer agentes eosdem nobis nunc rite contulerunt. Ut autem do-
natio eorum et nostra promissio a nobis et a nostris heredibus firma sit ac Jugiter perseueret, su-

per hoc facto nosmet ipsos sponte et voluntarie constrinximus et obligauimus sub hac pena, Quod si maligno spiritu instigante Jam dictum promissum a nobis seu a nostris successoribus fuerit violatum, Extunc vt nunc redditus predictorum octo mansorum in prefata villa de nostris redditibus li-
bere et absque vlla contradictione ad ipsum dominum Abbatem et suum conuentum reuertentur. Ne igitur scrupulus aliquis, seu aliquod dubium, aliquibus super isto facto oriatur, prefens scriptum conferibi fecimus et non solum nostro Sigillo, Sed et strenuorum virorum sigillis videlicet domini Henrici, dicti de Mortin, et domini Gerardi, dicti de Spenighe, militum permiximus com-
muniri. Testes huius rei sunt predicti milites, Johannes, dictus Glume, Joannes, dictus de Dolsa, et patruus nostri scilicet Mewes et Henningus, dicti de Sanitz, et alii quam plures fidedigni. Datum anno Incarnationis Christi M^o. CCC^o. XIII^o. In die beati Mathie Apostoli.

Aus dem Marienwalder Copialbuche. Fol. 17.

XIII. Markgraf Woldemar verzeihet dem Kloster Marienwalde das Dorf Alt-Magow nebst 64 Hufen, am 22. September 1314.

In nomine domini Amen. Hominum facta quantuncunque licet legaliter celebrentur in obli-
uionem per temporis lapsum solent decidere si non scripturarum adminiculo in posterorum noticiam,
deducantur. Hinc siquidem est, quod nos Woldemarus, dei gratia brandenburgensis, Lu-
fatie et de Landisberg Marchio, recognoscimus serie presentium literarum, Quod personis in
Christo deuotis Michaeli, Abbati, et Conuentui in Marienwalde, ordinis Cisterciensis dedimus
propter deum et damus donatione libera in hiis scriptis ville antique Plawe proprietatem libe-
ram et plenam, et omnium ad ipsam villam pertinentium, videlicet agrorum colendorum et cultu-
rum, pratorum, pascuorum, lignorum, paludum, aquarum, fluentorum, riuulorum, stagnorum et sim-
pliciter omnium eorum, que intra metas et distinctiones scilicet LXIII mansos habentes quomodoli-
bet sunt contenta, Nihil nobis nisi seruitia et precariam vt prius in villa prehabita conseruantes.
Verum si dictus Abbas et Conuentus, aliqua bona ibidem, in quibus nostra seruicia et precarie resi-
dent, processu temporis duxerint comparare, Id nostre insinuabunt notitie, vt huiusmodi pecunia,
alias sub nostro dominio relocetur. Et virtute huius nostre pure donationis, dictus Abbas et con-
uentus dimiserunt et nunciauerunt nos, Antecessores nostros et quolibet successores absolutos de
quinque et sexaginta mansis et stagnis intra mansos merice contentis, quos impetebant, et renun-
ciauerunt solenniter omni actioni, quam habere potuissent in premissis, Et omni incommodo, si quod
in dicti monasterii bonis vel molendinis nos vel nostri Antecessores vel quicunque alii ipsorum vel
nostro nomine, commisimus vel commiserunt, sicut ipsorum Abbatis et Conuentus literis possumus
lucide demonstrare. In quorum omnium euentiam certiore et firmitatem perpetuam, nostro sigillo
muniri Iussimus prefens scriptum. Testes quoque ad hoc vocati sunt Nobiles viri Hermannus de
Barby, Guntherus, Comes de Keuernberg, nostre dapifer Curie, Henningus de Stege-
litz, Grefeko, milites, Slotheko, prepositus Diminensis, Thidericus, prepositus de
Grandzoy, Euerhardus, prepositus de Stolp, Segerus, prepositus ecclesie Stendalensis,